CICERO

NUM

CATILINAM REPETUNDARUM REUM DEFENDIT?

EXAMINAVIT

C. A. F. BRUECKNER

GYMNASII SUIDNICENSIS CONRECTOR.

SUIDNICII.

TYPIS LUDOVICI HEEGII.

1844.

L. Sergium Catilinam, ex Africa provincia, quam per biennium, ut videtur,[1]) propraetor administraverat, reversum repetundarum ab Afris postulatum esse constat. In qua causa, Fenestella tradiderat, a Cicerone eum defensum esse. Negavit autem Asconius Pedianus, grammaticorum, qui Ciceronem illustraverunt, doctissimus, silentio inprimis Ciceronis de ea re commotus; negavit etiam inter recentiores Middletonus,[2]) rem non magis credibilem esse ratus. Adversarium vero is nactus est ut in aliis multis, quae de vita Ciceronis exposuit, ita in hoc quoque Jac. Tunstallum,[3]) qui epistola inprimis ad Atticum secunda libri primi confisus, Ciceronem in illa causa adfuisse Catilinae, prorsus contendit. Et habet sane sententia ejus quo commendetur. Sed quum nec singula quaeque, quorum in ea quaestione ratio habenda erat, satis respexerit, et in nonnullis etiam erraverit, ne ipse quidem rem ad liquidum perduxisse, immo ut novum ejus examen instituatur, invitasse videtur. Ad vitam enim Ciceronis rem plane levem esse, nemo judicabit, qui rerum quae necessitudo fuit Catilinae et Ciceroni, non ab eo demum, quo conjuravisset ille in rempublicam, tempore exstitisse reputaverit. Disputanda autem quae essent de ea, describenda esse ita videbantur, ut primum quaereretur de ingenio et ratione Ciceronis, num credi per ea res posset, deinde de auctoritate Fenestellae et Asconii, num altera utra potior videretur, tum rerum et temporum num qua necessitas ad defendendum Catilinam Ciceronem adigere potuisset, denique de locis apud ipsum Ciceronem, quorum aliquod esse ad rem profligandam momentum videretur.

Cum nihil tam incorruptum esse debeat in republica quam suffragium et sententia, intelligere se negat Cicero,[4]) cur qui ea pecunia corruperit, poena dignus sit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. Sibi quidem hoc plus mali facere videri, qui oratione, quam qui pretio judicem corrumpat, quod pecunia corrumpere prudentem nemo possit, dicendo possit. Haec tamen tam egregie disputata magnopere erraret, si quis per totam vitam suam Ciceronem sibi pro norma quasi et regula sumsisse crederet. Constantia enim non ea fuit animi virtus, qua maxime excelleret, neque per factiones reipublicae et oratoria adeo officia facere poterat, quin mutaret nonnunquam sententiam et ab altera parte in alteram transiret.

Unde jam in oratione pro Cluentio quod summo studio defendit judicium Junianum, idem antea alio loco et tempore non dubitaverat maximae infamiae accusare. Errare enim vehementer, ait (pr. Cluent. 50, 139), si quis in orationibus, quas in judiciis habuerit, auctoritates ipsius consignatas se habere arbitretur. Omnes enim illas orationes, causarum et

---

1) Colligitur hoc ex eo, quod Catilina, qui, praetura perfunctus, Africam provinciam sortitus esset, post reditum statim ex ea consulatum petiturus erat, id quod per leges non licebat, nisi biennio minimum post praeturam exacto.

2) Life of Cicero Tom. I, p. 137—139. ed. Bas.

3) Epistola ad Middleton. p. 27.

4) De republ. ap. Amm. Marcell. XXX, 4. p. 480 et 481 ed. Orelli.

temporum esse, non hominum ipsorum ac patronorum. Ex eadem oratione apparet (17, 49. 50), eundem Ciceronem, qui quocunque modo Cluentium jam expurgare studeret criminibus adversarium quendam Cluentii antea contra hunc defendisse, in quo fieri non potuerat, quin iis, quae in Cluentiana demonstravit, prorsus contraria afferret. C. Antonium, collegam in consulatu, in oratione in toga candida gravissimis conviciis proscidit, sed eundem tamen et antea adjuverat praeturam petentem (Ascon. ad or. in tog. cand. p. 85) et postea repetundarum ex Macedoniae provinciae administratione reum defendit, quamvis scelerum ejus [1]) minime nescius. Gravioris etiam inconstantiae fuit, quod Vatinii [2]) postea et Gabinii [3]) patronus exstitit, quibus ne Catilinam quidem acrius antea insectatus esset. Quid quod ambitus quosdam in consulatu petendo compertos defensurus, quaerenti Attico, quid dicere pro iis posset, jocose fere respondit „ne vivam si scio. In illis quidem tribus libris (de orat.) quos tu dilaudas, non reperio" (ad Att. IV, 16. ad Q. fr. III, 3). Quodsi quis igitur vel propter inconstantiam, quam defenso Catilina admisisset Cicero, vel quod reo, qui multis nominibus male audiret, patrocinatus esset, rem ipsam minus credibilem esse censeret, exemplis illis facile refelleretur.

Fenestellae et Asconii si comparantur inter se auctoritates, altera dici non potest alteri multum praestare. Est sane Fenestella antiquior scriptor, non plus tamen viginti vel ad summum triginta annis,[4]) eaque quamquam aetate vivebat, qua de Cicerone multa ab iis ipsis, qui rebus ejus interfuissent, cognoscere posset,[5]) neglexisse tamen etiam videtur, quibus non sine fructu usus fuisset. Asconius autem quum res potissimum, quae per orationes Ciceronis commemorarentur, historicas [6]) explicandas sibi sumsisset, hoc ipso admonitus est, ut multa quoque quae diligentiam fugissent aliorum historicorum, examinaret et in lucem protraheret. In quo non temere eum versatum esse, ea ipsa argumento sunt, quae contra Fenestellam, quo facere non poterat, quin nonnunquam auctore uteretur, passim monuit. Sic ad orat. in Pis. p. 1; „Fenestella quidem posuit hanc inter eas orationes, quas dixit Cicero L. Domitio App. Claudio cons. ultimam. Sed ut ego ab eo dissentiam, facit primum, quod Piso reversus est ex provincia Pompejo et Crasso consulibus, Gabinius Domitio et Appio, hanc autem orationem dictam esse ante Gabinii reditum ex ipsa manifestum est, deinde quod magis naturale est, ut ipso recenti reditu invectus sit responderitque insectationi ejus, qua revocatus erat ex provincia quam post anni intervallum." Cfr. praeterea de die, quo Clodius a Milone interfectus sit, ubi acta magis et ipsam orationem, quae actis congrueret, quam Fenestellam, sequenda putavit, p. 32, denique de anno aetatis, quo S. Roscium Cicero defenderit, Gell. XV, 28.

Satis gravem igitur, vel Fenestella certe non leviorem auctorem de his rebus Asconium fuisse patet. Singulari vero fonte usus est, de quo operae pretium est, verbo monere. Exstabant enim Asconii et paulo post etiam Quintiliani temporibus causarum, quos

---

1) pr. Flacco 2, 5. 38, 35. pr. Sestio 3, 8. 13. ad fam. V, 5, 2. 3, 6, 3. ad Att. I, 12, 1. 2. II, 2, 3.

2) Aegre se de eo excusabat Lentulo; ad fam. I, 9, 4 sq. ad Q. fr. II, 16, 2. Causam ille dicebat de sodalitiis. Schol. Bob. pr. Planc. p. 262.

3) pr. Rabir. Post. 8, 19. 12, 33.

4) Post Augusti mortem scripsit: fragm. 18. Plin. H. N. VIII, 48, 74. cf. Ascon. p. 27 ed. Orelli.

5) Fragm. 26 ap. Plutarch. Crass. c. 5.

6) Asconium intelligo, quem Madwigius vindicavit, non Pseudo-Asconium illum, Verrinarum interpretem.

ipse Cicero ab initio confecisset, commentarii, in quibus si qua omissa erat ex orationibus Ciceronis, ea hoc ipso suspecta reddi videbatur. Constat enim, non solum multas ex orationibus Ciceronis deperditas, sed nonnullas etiam ne in lucem quidem ab eo emissas esse (ad Att. II, 7, 1). Aut plerneque vero aut omnes ita in commentarios illos causarum conjectae erant, ut vel initia earum vel quae maxime ex iis fuissent ad causas orandas necessaria, in iis exstarent. [1]) Unde accidisse passim videtur, ut etiam quas Cicero non ipse edidisset orationes, eae in commentariis tamen magna ex parte perscriptae essent. Sic duae fuerunt a Cicerone pro Scauro orationes habitae: sed altera tantum in vulgus edita, altera in commentariis relicta erat. (Quintil. IV, 1, 69). Hos autem commentarios, qui ut librariis traderentur, Ciceronis ipsius consilium non fuisse videtur (nam ad praesens modo tempus eos aptaverat, Quintil. X, 7, 31), Tiro libertus quamquam paullo contractiores edidit et communi usui patefecit. Asconius igitur quod ne in his quidem commentariis notatum quidquam de Catilinae illa defensione reperit, eo memorabilius est, quod qui pudor fortasse fuisset in libro in vulgus emittendo, in iis, quae in suum tantum usum orator mandasset literis, nullus esse poterat. Hinc decernendum simul puto de Asconii loco, ubi commentariorum illorum mentionem facit. Qui quum manifesto corruptus sit, facile aliquem in eum errorem induxerit, ut quod judicio absolutus esse dicitur Catilina, in ipsis illis commentariis lectum esse credat. Hoc tamen si ita esset, Asconius sibi ipse repugnaret. Locus igitur quum in editione principe et ex ea in Orelliana ita perscriptus sit: „Praeterea movet me, quod, cum sint commentarii Ciceronis causarum, etiam defensionum, commentarium aut principium ita quod judicio absolutus est Catilina, ut Clodius infamis fuerit praevaricatus esse: nam et rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur esse facta," assentior iis, qui sic fere scribendum esse censuerunt: .... „etiam defensionum; commentarium tamen hujus defensionis aut principium nullum inveniam. Hoc autem judicio absolutus est Catilina" &c.

Non ita tamen contemni poterunt, quae Fenestella tradidit, ut non causa exploretur et fons, e quo sua ille hauserit, vel, si error fuit, unde error ille repetendus sit. Ad hanc tamen quaestionem tum demum respondendi locus erit, ubi reliqua omnia excussa fuerint. Nunc examinandum ante omnia videtur, num qua fuerit unquam inter Catilinam et Ciceronem ejusmodi necessitudo, quae hunc, ut causam illius susciperet, impellere potuerit. Narrat Sallustius (Cat. c. 15), adolescentem Catilinam tum alia nefanda stupra fecisse, tum cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae. Cicero autem in oratione in toga cand. p. 92 ed. Orelli in Catilinam ita invehitur: „Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis et despicis: an eam, quam reliqua vita es consecutus? cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret," et Asconius ad eum locum: „Fabia, virgo Vestalis, [2]) causam incesti dixerat, cum ei Catilina

1) Alios etiam oratores ejusmodi commentarios reliquisse, intelligitur e Quintil. X, 7, 30.

2) Virginum Vestalium, quorum apud Ciceronem mentio fit, judicia, quum non satis distinguantur ab editoribus, haec fere de iis tenenda esse videntur. Notabilis primum est, quae ad decimum ante Ciceronem consulem annum (in Cat. III, 4, 9) refertur, absolutio virginum. Ad quam tamen referri non possunt (ut Steinmetzius fecit ad l. l.), Asconius quae tradidit ad Milonianam c. 12 § 32: „Quo tempore S. Peducaeus tribunus plebis criminatus est, L. Metellum, pontificem maximum, totumque collegium pontificum male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam, populus hunc Cassium (cf. pr. S. Rosc. 30, 84) creavit, qui

objiceretur, eratque absoluta. Haec Fabia, quia soror erat Terentiae Ciceronis, ita dixit: etiamsi culpa nulla subesset. Ita et suis pepercit, et nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem objecit.“ Ad eandem vero causam pertinet locus Q. Ciceronis de pet. cons. c. 3. „Nullum in locum tam sanctum ac tam religiosum accessit, in quo non, etsi in aliis culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem relinqueret.“

In quo error primum non praetermittendus esse videtur, qui a Manutio olim admissus (ad Att. I, 19, 9), Tunstallo quoque (Epist. ad Middl. p. 27) imposuit. Cicero enim quum, ut senatum de absoluto Clodio consolaretur, bis [1]) absolutum esse Lentulum, bis Catilinam admonuisset, de industria hoc factum esse Manutius contendit, ut tertiam illam Catilinae absolutionem silentio praetermitteret, ne Fabiae videlicet, Terentiae uxoris sorori, turpem impudicitiae notam inureret, itaque adstipulantem habuit Tunstallum, ut argumentum adeo, quod ex silentio Ciceronis de Catilina in causa repetundarum a se defenso repetivit Asconius, inde nihili esse demonstraret. Uterque vero in eo falsus est, quod de Fabia tantum illa in judicium vocata, nusquam de Catilina sermo est, ut hoc saltem loco nihil Cicero de industria tacuisse videatur.

Fabiam quis defenderit, utrum ipse Cicero, quem Terentiam jam ante iter ab eo in Graeciam et Asiam susceptum uxorem duxisse, recte a Tunstallo docetur (Epist. p. 12), an alius quispiam, in medio relinquendum est. Illa vero si accusata est eo tempore, quo tum orator Cicero inclarescere coepisset, tum Terentiam in matrimonium duxisset, quid probabilius, quam ad Ciceronis potissimum eam eloquentiam confugisse? cf. Plutarch. Cat. min. c. 19. Fabiam autem sive defendit Cicero, sive non defendit, illud extra dubitationem positum esse videtur, magis inimicitiae quam amicitiae ejusmodi rem causam esse potuisse. [2]) Infamia vero, qua

---

de eisdem virginibus quaereret, isque et utramque eam et praeterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit.“ Idem enim judicium fuisse patet, in quo Crassus orator, septem et viginti annos natus, Liciniam virginem defendit (Cic. Brut. 43, 160). Contra pertinere videtur ad illum orationis Catilinariae locum virginum illud judicium, ex quo M. Piso magnam laudem adeptus esse fertur. (Cic. Brut. 67, 236). Hoc si ad Fabiam quoque istam pertineret, pateret simul, quo anno ea absoluta fuerit. Peculiaris autem causa fuisse videtur Fabiae, et Catilina, qui anno 68 a. Chr. praetor fuit, quum adolescens rem cum ea habuisse dicatur, haud dubie aliquanto prior. Unde praeter locos supra allatos nihil facere videtur ad illam Fabiae causam, nisi Plutarchi locus (Cat. min. c. 19 cf. Ferrat. Epist. III, 12, p. 203), ubi Cato dicitur *ἐνστάς ποτε Κλωδίῳ τῷ δημαγωγῷ κινοῦντι καὶ ταράττοντι μεγάλων ἀρχὰς νεωτερισμῶν καὶ διαβάλλοντι πρὸς τὸν δῆμον ἱερεῖς καὶ ἱερείας, ἐν οἷς καὶ Φαβία, Τερεντίας ἀδελφὴ τῆς Κικέρωνος γυναικὸς ἐκινδύνευσε, τὸν μὲν Κλώδιον αἰσχύνῃ περιβαλὼν, ἠνάγκασεν ὑπεκστῆναι τῆς πόλεως, τοῦ δὲ Κικέρωνος εὐχαριστοῦντος, τῇ πόλει δεῖν ἔχειν, ἔφη, χάριν αὐτὸν, ὡς ἐκείνης ἕνεκα πάντα ποιῶν καὶ πολιτευόμενος.* De quo loco aperte falsus est Ferratius l. l., alium dici Clodium ratus, non Publium illum, qui tum tribunus plebis esse non potuerit. Tribunum vero plebis fuisse Clodium, pontifices ita increpantem, Plutarchus nusquam dixit; immo de tempore cogitandum esse apparet, quo Clodius ipse pontificum auctoritate (ad Att. 1, 13 „res ex senatus consulto ad pontifices relata, idque ab iis nefas esse decretum“) incesti accusatus esset, et quamvis absolutus, magna tamen infamia laboraret. In qua causa quum Ciceronem quoque adversarium habuisset, fuit sane, quod illam etiam Fabiae absolutionem in concione quadam sua criminaretur. Concionum vero ejusmodi mentionem facit ipse Cicero ad Att. I, 14, 5.

1) ad Att. I, 16, 9. in Pis. 39, 95.

2) Adde quod Asconius narrat p. 84. cf. p. 90 Quint. Cic. de pet. cons. c. 3.

ipsa Catilinae adolescentia laborabat, mox etiam gravioribus criminibus aucta est, idque aliquanto jam ante quam conjurationis conflatae ab eo in rempublicam fama percrebuisset.

De injuriis enim, quibus Africam provinciam vexavisset, tam graves rumores jam ante ipsius reditum Romam pervenerant, ut actione, quae parabatur ab Afris, in eum instituta, vix salvus fore videretur. De ipso enim jam absente in senatu conquesti erant legati Afrorum, gravissimisque ut senatus decretis notaretur effecerant (Cic. or. in tog. cand. et Ascon. p. 85 et 89). Reverso igitur L. Volcatio Tullo M. Aemilio Lepido consulibus, anno exeunte 66 ante Chr.,[1] quum petiturus esset consulatum, habito a L. Volcatio consule consilio publico, petendi ei potestas adempta est. Res igitur eo deducta est, ut salus ejus a judicio repetundarum, hinc in eum instituto, penderet. Sed aliae accedebant, quibus fama ejus vexaretur, criminationes. Duarum[2] enim illarum, quarum altera jam Lepido et Volcatio cons., altera anno post, Torquato et Cotta cons., facta est, conjurationum alterius, quae Nonis Februariis hujus anni erumperet, Catilinam conscium fuisse, nemo nesciebat,[3] quamquam ipsae illae conjurationes non ita in lucem venerant, ut earum qui participes fuissent, convinci possent.

Quodsi igitur nihilo secius fuerunt e nobilissimis hominibus,[4] qui testimonium dicerent in ea causa pro Catilina, non movisse eos videtur nisi ipsa ejus nobilitas. Cicero autem non erat e nobilium numero, eorumque invidiam fortasse auxerat, quod et anno superiore legi patrocinatus erat Manilii, et hoc anno Cornelium, nobilitati non minus invisum, contra acerrima amplissimorum hominum studia defenderat. Videndum est igitur, quid illa valeat ad Atticum epistola (I, 2), in qua non solum defendendi illud Catilinae consilium, verum etiam spem profitetur fore, ut rationibus inde suis in petendo consulatu subveniat. Sunt autem in ea non pauca, in quibus haereas et quid de iis statuendum sit, fere nescias.

Exordium faciunt verba: „L. Julio Caesare C. Marcio Figulo consulibus filiolo me auctum esse scito, salva Terentia.“ Ex quibus si quis epistolam ad annum 64 a. Chr., quo Caesar et Figulus consules fuerunt, referret, id quoque, de quo in sequentibus sermo est, Catilinae defendendi consilium ad annum eum revocare deberet, et repetundarum causam quum anno constet antecedente peractam esse, de alia illa cogitandum esset, qua Catilina propter Sullanae aetatis foeditates reus a Lucceјo inter sicarios factus est (Dio Cass. XXXVII, 10. Cic. pr. Sull. 29, 91). Quae tamen causa cum nonnullis demum mensibus[5] post habitam circa medium annum 64 a. Chr. in toga cand. orationem acta sit, eo igitur tempore, quo tum consularia[6] anni illius comitia dudum habita et Cicero cum C. Antonio

---

1) Torquato demum et Cotta cons. rediisse Catilinam, statuerat Manutius, Cic. pr. Coel. 4, 10 loco permotus; hic autem non sermo est nisi de causa repetundarum. Unde jam Malaspina Manutium refutavit.

2) Duas autem fuisse, quarum altera Kal. Jan., altera Non. Febr. erumperet, ex Suet. Caes. c. 49 patere videtur. Ab aliis eae confunduntur. Salust. Cat. 18. Dio Cass. XYXVI, 27. Cfr. Cic. pr. Sulla 24, 68.

3) Cic. pr. Sulla 27, 64. Ascon. ad orat. in tog. cand. p. 83 et 93.

4) Pr. Sulla 29, 81. „Accusati sunt omnes consulares. — Adfuerunt, inquit, Catilinae illumque laudarunt. Nulla tum patebat, nulla erat cognita conjuratio: defendebant amicum, aderant supplici, fortasse audaci, at aliquando amico.“

5) Ascon. ad orat. in tog. cand. p. 92. „Hujus autem criminis periculum, quod objicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit.“

6. Ascon. p. 92. „Post effecta enim comitia consularia et Catilinae repulsam fecit eum reum inter sicarios L. Luccejus paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit.“

consules creati essent, tum de facta a Catilina conjuratione[1]) rumores jam spargi coepissent (Sallust. Cat. 17. Cic. pr. Sulla 29, 81), intelligi ea hoc loco non potest. Catilina enim in illa epistola competitor adhuc Ciceronis dicitur.[2])

Jam vero si de altero illo, quod filius Ciceronis Caesare et Figulo consulibus natus esse dicitur, quaeratur, facile ea quidem quaestio profligari posset, si de anno satis constaret, quo toga dari virilis solebat. Pueris enim excessisse Ciceronis filium, quo anno bellum exortum est inter Caesarem et Pompejum, ipse Cicero testis est (ad Att. IX, 6, 1. 19, 1). Jam si, quod Lipsius, Gronovius et Ernestius (ad Tac. Ann. XII, 41) contra Manutios, Sigonium, alios statuerunt, quintus decimus aetatis annus legitimus fuisset, quo toga daretur virilis, Cicero filius revera dicendus esset consulibus illis natus esse. Sed repugnaret manifesto, quod Ciceroni tum fuisse dicitur Catilinae defendendi consilium, quod non ad hunc sed ad antecedentem annum pertinere, modo demonstratum est. Quocirca, quum ne annus quidem ille quintus decimus ita certus sit, quin singulos quosdam, qui adversantur, locos emendari propterea necesse sit, statuamus licet, id quod e Livio[3]) (XXII, 57) colligi possit, sexto decimo quoque anno fuisse qui togam virilem acciperent, et Ciceronis inter eos filium referamus; statuamus etiam confirmari rationem illam eo, quod Q. fratris filius, cujus mater anno ante Ciceronem praetorem praegnans fuisse dicitur (ad Att. I, 10, 5), quique hinc praetore M. Cicerone (66 a. Chr.) natus videtur, anno ante M. Ciceronis filium togam puram acceperat[4]) (ad Att. VI, 1, 12). Sed ne hoc quidem quod offensionis est in verbis illis tollitur.

Legebantur enim illa a Manutio ad finem epistolae prioris et explicabantur ab eo ita, ut epistolam illam diversis temporibus, alteram videlicet eamque majorem partem ante, alteram post comitia consularia scriptam, verbis autem „L. Julio“ &c. nihil significatum esse nisi filiolum post consules illos designatos natum diceret. Adversari autem videntur, quae leguntur ep. 1, 1: „Nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his literis proficisci Cincius dicebat, in campo comitiis tribuniciis a. d. XVI Kalend. Sext.“ Dies igitur, quo literas daret, constitutus erat. Posteriores editores verba ea conjunxerunt cum sequenti epistola, sed quae difficultas inest in nominibus consulum non sustulerunt. Lambinus quod „designatis“ interposuit, sine ulla codicum auctoritate fecit. Arbitraria item, quamquam vehementer illa quidem probata Tunstallo (Epist. p. 11), interpretatio esse videtur, quam Lamb. Bosius protulit „Cum ait Cicero, Caesare et Figulo consulibus, non tempus notat, quo illi inierunt, sed quo designati sunt. Voluit duarum rerum Atticum fieri certiorem, designationis consulum et diei natalis filii.“ Demonstrari enim debebat, revera ita dici a veteribus, ut non consulibus tantum magistratum ingressis sed designatis quoque annos notarent. Nam qui a Tunstallo (p. 10 et 11) allati sunt loci (ad Att. VI, 8. Philipp. XIV, 3) non ita comparati videntur, ut ad rem plane faciant. Consu-

1) Sallust. Cat. 17.

2) Apparet igitur, Ferratium (Epist. III, 12 p. 203), hoc ipsum agentem, ut in epistola illa ad Atticum quod Cicero dixisset de defendendo Catilina, illi quod habitum est Caesare et Figulo cons. inter sicarios judicio vindicaret, erroris manifestum esse, quamquam Asconium Ciceroni Orelliano adjunctum qui edendum curavit vir doctus, egregie eum rem diremisse contendit.

3) „Delectu edito, juniores ab annis septemdecim et quosdam praetextatos scribunt.“

4) Tunstall. Epist. p. 11.

les enim licet passim dicti sint, qui designati tantum essent ad consulatum, hinc tamen non sequitur, ut designati tum quoque memorati sint, ubi annus denotandus fuerit. Denique si vere hoc egisset Cicero, ut utrumque his verbis Attico nuntiaret, et consules illos designatos et filiolum natum esse post designatos eos, haud scio an putidius fuisset ejusmodi breviloquentiae specimen. Fxspectabatur certe: „Post Caesarem et Figulum consules designatos" sive simile quidpiam.

Aliam vero difficultatem ea ipsa verba movent, quibus de defendendi Catilinae consilio Cicero Atticum certiorem facit. „Hoc tempore," ait, „Catilinam, competitorem nostrum, defendere cogitamus." Comitia igitur, quibus Caesar et Figulus consules renuntiati fuerant, tum exacta erant. Quae quo tempore habita fuerint, expresse quidem nusquam traditur, sed colligere fortasse e priore epistola licet. In qua quum Cicero mense se Septembri legatum excurrere velle in Galliam profiteatur, ut Januario revertatur, comitia illa credibile est ante Septembrem mensem habita esse. Iter vero, quod dicit, susceptum esse ab eo, ex oratione in Antonium secunda (c. 30, 76) intelligitur, quamquam num eodem plane, quo constituerat, tempore, non ita exploratum est. Sed adjicit „quum Romae a judiciis forum refrixerit." Unde quum effici videatur, Catilinae quoque causae agendae eo tempore vix locum fuisse (Cfr. in Verr. Act. 1, c. 8), haec et ipsa peracta esse videtur ante tempus illud, quo forum a judiciis refrigesceret, et epistola illa, qua consilii sibi hoc fuisse Cicero dicit, ut Catilinam defenderet, ipso fortasse jam Sextili mense perscripta fuerit. Jam quum epistola prior non multo ante diem, quo tabellario eam traditurus erat, exarata esse videatur, quatuor fere septimanarum spatium inter utramque interfuerit. Hinc tamen necesse est altera utra difficultas suboriatur. Miratur enim Cicero ep. 2, tam diu se ab Attico nihil literarum tulisse. Hoc si jure miratur, plus unam adhuc epistolam exspectare poterat ab amico suo ante mensem Januarium. Unde nobis quoque jure nostro mirari licebit, extrema eum epistola ita scribere, quasi non aliam ante adventum ipsum Attici, in Januarium mensem constitutum, exspectet, eoque magis, puto, licebit, quod de consilio illo Romam veniendi, quod cepisse Atticum hac epistola dicit, in priore illa, quam proxime hanc antecessisse credibile est, ne verbo quidem monuit. Sin vero illud „Abs te tam diu nihil literarum?" et „Quare Januario mense, ut constituisti, cura, ut Romae sis," ad extremum nos annum rejiciat, tum difficile fuerit, eas rationes evertere quae de mense nos Sextili cogitare jubent.

Reliqua denique difficultas est, quod eundem, quem paullo antea negasset certum fore competitorem, nisi meridie non lucere judicatum esset, nunc plane non dubitat competitorem suum vocare. Ac statui sane possit, postquam quae in sequentibus memoratur, rejectio facta fuerit judicum, spem, quae antea vix fuerit, nunc jam fuisse, fore, ut Catilina absolveretur. Hinc autem etiamsi, quae esse videtur repugnantia inter utrumque locum, tollatur, tamen illa altera nondum compescitur, quod priore illa epistola de consilio defendendi Catilinae ne verbum quidem emisit, immo ne cogitavisse quidem videtur. De illo vero prioris epistolae loco quum in partes abierint interpretes diversissimas, operae pretium fuerit, explicare, quid statuendum videatur.

Codicum plurimorum lectio est: „Catilina si judicatum erit, meridie non lucere, certus erit competitor." Quam lectionem Manutius verissime explicavit hoc modo: „Si a judicibus absolvetur Catilina, meus erit in consulatu competitor. Erat enim reus repetundarum adeo manifestis criminibus, ut eum judicare insontem nemo posset, nisi idem judicaret, meridie non

lucere." Cujus tamen lectionis sensus quum paullo contortior esse videretur, codices autem non omnes in ea consentirent, non defuerunt, qui corrigere conati, loco inde majorem et simplicitatem et perspicuitatem afferre sibi viderentur. Fuit igitur jam ante Manutium Sebast. Corradus, qui emendaret „si judicatum erit haberi rationem licere;" eamque emendationem sic defendit copiosa adnotatione Leonard. Malaspina, ut ea potissimum de causa vulgatam lectionem rejiciendam esse censeret, quod ipsa absolutio non suffecisset, ut Catilinae consulatum petere liceret, sed ut antea jam Volcatio et Lepido cons. factum esset, ita nunc quoque decerni ante omnia oportuisse a senatu, num inter candidatorum numerum nomen ejus referri posset. Ciceronem igitur, si dixisset, „si judicatum fuerit meridie non lucere" nihil prorsus dicturum fuisse, quippe quum absoluto quoque a judicibus Catilinae venia haec a senatu exposcenda fuerit, ut consulatum denuo ambiret. Cui tamen rationi fidem vix habueris. Quum enim legibus quibusdam sancitum esset, cui omnino magistratus petere liceret, legibus tantum iis neglectis, petentium aut ratio plane haberi non poterat, aut ut haberetur, singulari quodam senatus decreto opus erat. Neque dubium est, quin Catilinae ex Africa reverso consulatum continuo petere licuisset, nisi eae provincialium querelae ad senatum delatae fuissent, quae hunc, ut rationem ejus haberi vetaret, commoverent. In libro enim de claris oratoribus (c. 62) quod futurum fuisse dicitur, ut Glaucia in praetura consul fieret, si rationem haberi licere judicatum esset, id ipsum confirmat. Res enim quum legibus repugnaret, singularis in eam venia opus fuerat. Absoluto igitur Catilinae dubitari non potest, quin petendi quoque consulatus potestas fuerit. Mureto autem quod placuit „si judicatum erit licere" nihil et ipsum nisi conjectura est, neque codicum auctoritate — nam ii, ad quos provocat, „si judicatum erid merid lucere" habent — neque rei ratione confirmata. Verba enim illa sive eo sensu accepit, quo Malaspina „rationem haberi licere", eadem quoque ratione refellitur, sive judicii repetundarum eventum intellexit, opponi potest, judicium non de eo factum esse, num liceret Catilinae certo competitori esse, sed num poenas Afris daret necne.

Dubitari igitur vix potest, quin verior habenda sit illa, quam Orellius quoque retinendam censuit, lectio „si judicatum erit meridie non lucere." Haec autem si praestat, et si apparet ex ea, plane incredibile tum illud visum fuisse Ciceroni, absolvi posse Catilinam, patronum quoque haec scribentem eum a Catilina nondum constitutum esse intelligitur. Consociari igitur haec verba cum iis, quae in secunda epistola leguntur, non alio modo possunt, nisi si tum demum, quum priorem ad Atticum epistolam dedisset, causae suae a Catilina patronus electus est. Sed quum hoc jam ante superioris anni exitum exspectaretur, ut repetundarum postularetur Catilina ab Afris, neque actio ejusmodi institui posset, nisi longiore quodam temporis spatio dato, num ita credibile est, tum demum, ut causam ejus diceret, rogatum esse Ciceronem a Catilina, quum testimonia quaeque et subsidia ab accusatore collecta essent [1])?

Hoc autem Tunstallum quoque (p. 25) ita offendit, ut rem eam quo expediret, mira plane comminisceretur. De Catilina, inquit, mirum est quod dicit Cicero. „Catilina, si judicatum erit, meridie non lucere, certus est competitor." Et tamen hunc talem, tam manifestis criminibus coopertum, „hoc tempore," inquit, „Catilinam, competitorem nostrum, defendere cogitamus." Quid vero? nullumne hic (Middletonum alloquitur) colorem das? et tamen legitima erat defensio. Nam ista ita legenda videntur „Catilina, si judicatum erit meridie"

---

1) In Verris causa Hortensio ab initio partes delatas esse defensoris, ex ipsa divinatione in Caecilium apparet.

(i. e. antemeridiano judicio) „nunc licere" (eum petere consulatum) „certus erit competitor." In quo quod emendavit „nunc licere" iisdem dubitationibus obnoxium est, quibus illae Sebast. Corradi et Mureti emendationes, etsi non veritus est, Malaspinae illud placitum repetere; meridie autem quod putat idem esse quod „antemeridiano judicio" non magis assentientem quemquam habebit. Hac enim significatione si adjectum esset illud „meridie," nihil neque otiosius neque insulsius cogitari posset. Itaque quamquam sequentia verba „Iudices habemus, quos voluimus, summa accusatoris voluntate" tum oratione de harusp. resp. 20, 42 confirmantur ubi Clodius a Catilina pecuniam accepisse dicitur, ut turpissime praevaricaretur, tum a Cicerone in Pis. 10, 23, ubi Clodius audit Catilinae praevaricator, denique ab Asconio p. 87, judicio Catilinam ita absolutum esse perhibente, ut Clodius infamis fuerit, praevaricatus esse, difficultates tamen, quibus omnis ea epistola laborat, nequaquam levantur.

Sed ut levari sane possint, et ut nihil valeant dubitationes nostrae, neque ulla de auctore epistolae suspicio propterea admittatur, colligi tamen ex ea nihil poterit, nisi cogitasse aliquando Ciceronem de Catilina defendendo, nam vere eum defendisse, nullus plane apud eum locus est, qui arguat. Contra sunt, qui nunquam id factum esse demonstrent, et primum quidem ex oratione in toga candida qui loci servati sunt.

Oratio in toga candida L. Caesare C. Figulo consulibus (64 a. Chr.) habita est ante dies, ut Asconius refert (p. 83), comitiorum consularium paucos. Nam si, ut in epistola illa ad Atticum traditur, speraverat Cicero, conjunctiorem sibi Catilinam fore in ratione petitionis, de eo ita falsus est, ut a Catilina pariter atque a C. Antonio armis mox quibusque impugnaretur. E reliquis enim competitoribus quum unus esse Cicero videretur, qui gratia valeret populi, M. Crasso et C. Caesare adjutoribus usi, ambo coierant, ut consulatu eum dejicerent. Hinc tamen quum in dies augeretur ambitus licentia, neque sufficere videretur, quae duobus annis ante lata erat lex Calpurnia, senatus censuerat, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. (Ascon. p. 83 et 85). Intercesserat autem Q. Mucius Orestinus tribunus plebis, eamque intercessionem, ut videtur, defenderat oratione coram populo habita, qua indignum plane Ciceronem esse consulatu clamaverat. Quod quum sensisset gravissime tulisse senatum, Cicero postridie acerrime invectus est tum in Antonium et Catilinam, tum in Orestinum, omnem iis praeteritae vitae infamiam exprobrans. Addidit autem ingrati quoque animi notam, Orestino objiciens, furti eum antea a L. Caleno accusatum, ipsum potissimum fortunarum suarum patronum habere voluisse, neque eo tempore parum ei in se auxilii fuisse (p. 86), Antonio autem, suo maxime beneficio factum esse, ut, praeturam quum una cum Cicerone petivisset, e postremo in tertium locum subjectus fuerit. De Catilina vero a se defenso ne verbum quidem. Hinc tamen ne quis assentiretur Asconio, Tunstallus (p. 27) istam rem Ciceroni alicui fuisse turpitudini monuit; siquidem Catilina tam invidiosus ex eo judicio discesserit, ut aliud in eum judicium quotidie flagitaretur (Q. Cic. de petit. cons. c. 3). Hoc nimirum ex intima arte oratoria esse, quae causae nocitura sint, nec colores accipiant, prorsus reticere. Cujus tamen Ciceronis, ubi occultanda fuerint, quae ipsi ignominiae ducerentur, taciturnitatis quae exempla affert, eorum alterum de Catilina bis absoluto jam supra explosum est, alterum vero, ex eo repetitum, quod in enumerandis Clodii legibus (in Pis. 4, 9) frumentariam, ut quae maxime popularis fuerit, de industria reticuerit, ne satis quidem huc pertinere videtur, quia legis illius mentio ab illo loco prorsus aliena erat. Cavendum vero omnino videtur, ne nimium ponamus in intima illa, quam praedicavit Tunstallus,

oratoria arte. Cicero enim quod objecit Mucio Orestino, qui, cujus consilium in sua turpissima causa delegerit, hunc honestissimarum rerum defensorem populo Romano ut repudiaret auctor fuerit, cur non idem objicere potuit Catilinae, cujus causa fortasse haud multo turpior fuisset? Neque nimium tamen hoc urgeamus; immo concedamus, solum silentium Ciceronis nihil quidquam ad rem facere profligandam; modo acquiescere summus orator in eo silentio voluisset. Tantum vero aberat, ut taceret, ut haud pauca proferret, quae turpissimi istius judicii memoriam redintegrarent. Sic igitur p. 85: „In judiciis quanta vis esset, didicit, (sc. Catilina), cum est absolutus: si aut illud judicium, aut illa absolutio nominanda est" p. 86 „diripuit socios, leges, quaestiones, judicia violavit" p. 87 „Quid ego, ut involaveris provinciam, praedicem? Nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo: mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse puto nescio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miser, qui non sentias illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium ac majus supplicium servatum"! Similia: p. 89. 90. 93.

Ciceronem igitur si puditum esset defensionis, cur attulisset, quaecunque tandem causae, quam defendisset, possent invidiam augere? Quid enim attinuit, suum ipsius in eo nomen tacere, si tamen, non alium nisi eum ipsum causam dixisse, patebat? Catilina quomodo se gesserit in provincia, non audet dicere, quoniam absolutus sit; nihilo secius tamen in sequentibus plane incredibile esse affirmat, mentitos esse tot et tam graves testes, quibus ille convictus fuerit. Quid quod orationem eam habuit in senatu, e quo qui lecti in illud judicium fuerant, Catilinam omnes damnaverant?

Ex hac autem oratione quod colligitur, idem haud scio an clarius etiam appareat e loco Quinti Ciceronis (de pet. cons. 3, 10), qui reliqua postquam vitia et facinora Catilinae commemoravit, haec addit: „Quid ego nunc tibi de Africa, quid de testium dictis scribam? Nota sunt, et ea tu saepius legito. Sed tamen hoc mihi non praetermittendum videtur, quod primum ex eo judicio tam egens discessit, quam quidam judices ejus ante illud judicium fuerunt: deinde tam invidiosus, ut aliud in eum judicium quotidie flagitetur". Scriptionem enim eam quum privatim ad fratrem misisset, cui quid faciendum esset in consulatu petendo, suaderet, nulla videtur religio fuisse, quominus in mentem quidquid venisset, ingenue et aperte exprómeret. Catilinae autem a Cicerone defensi nulla mentio. Immo admonet, ut legat saepius, quae de Africa et de testium dictis nota sint, id quod ridiculum fuisset, si fratrem cognitum habuisset Catilinae adversus provinciam eam et testes illos adfuisse.

Reliquus autem locus est, qui, si quis alius, laudari ab iis possit, qui defensum Catilinam a Cicerone statuunt. In oratione enim pro Coelio (b, 4), hunc ut familiaritatis Catilinae opprobrio purgaret, commune hoc ei fuisse perhibet cum multis et cum quibusdam etiam bonis. „Me ipsum," pergit, „me, inquam, quondam paene ille decepit, quum et civis mihi bonus, et optimi cujusque cupidus, et firmus amicus ac fidelis videretur: cujus ego facinora oculis prius quam opinione, manibus ante quam suspicione deprehendi: cujus in magnis catervis amicorum si fuit etiam Coelius, magis est, ut ipse moleste ferat, errasse se sicuti nonnunquam in eodem homine me quoque erroris mei poenitet, quam ut istius amicitiae crimen reformidet." Ubi quod dicit, erroris se sui de Catilina nonnunquam poenitere, ad illam, quae ferebatur a Fenestella, defensionem ejus referri posse, quis neget? Sed potest tantum, non debet. Suum enim errorem cum Coelii errori conferat, qui familiaritate tantum

Catilinae usus erat, error etiam Ciceronis non ponendus esse videtur nisi in usu qualicunque, quo cum eo aliquando conjunctus fuerit. Error igitur non alius dici videtur, nisi quod scelera ejus nihil dum suspicatus, a familiaritate ejus aliquando non plane alienus fuerit. In quo de certo quodam tempore nihil dicitur; cogitare igitur eodem jure, quo de ista repetundarum causa, de quavis alia licet. Accedit, quod non deceptum se dicit esse, sed paene deceptum, id quod si intelligendum utique esset de Catilina repetundarum reo, propendisse tandum diceretur Cicero ad causam Catilinae suscipiendam, non vere suscepisse. In eadem certe oratione paullo ante Cicero tam alienum se fuisse ab arctiore cum Catilina consuetudine profitetur (pr. Coel. 4, 3), ut eo ipso, quod poximis annis ante consulatum Coelium nunquam non secum habuerit, evinci existimet, familiarem eum Catilinae esse non potuisse.

Si quid igitur est, quod statuatur cum probabilitate quadam de his rebus et quo Fenestella simul cum Asconio concilietur, illud est, propositum hoc aliquando fuisse Ciceroni, ut causam Catilinae diceret. Nobilitatem enim cum suae ipsius petitioni aeque adversari atque Catilinae, ut qui multos ex ea etiam in causa repetundarum eosque amplissimos advocatos habuisset, favere intelligeret, a societate cum Catilina facienda aliquamdiu non prorsus abhorruisse videtur. Mox tamen mutata voluntate, apertum maluit habere Catilinam adversarium quam ambiguae fortasse fidei socium et amicum, neque aliis jam uti praesidiis et adjumentis, nisi iis, quae ad eum, quem jam obtinuisset, dignitatis gradum ipsum evexissent. In gratia igitur multitudinis eorumque, quos oratoriis sibi facultatibus amicos fecisset, acquiescendum sibi hoc tempore esse putavit. Fecerunt autem rumores, qui de Catilinae in rem publicam consiliis mox disseminari coepissent, ut invidorum quoque postremo fastum et superbiam vinceret (Sallust. Cat. 23).
